



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

341. Brief Caspar Peucer's an den Herzog Albrecht von Preußen über die
Abstammung der Markgrafen von Brandenburg, vom 15. Oktober (1540).

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

vnsrer Marggraff Joachims, Churfürsten, vnd hertzogk heinrichs zu Sachffen Chur- vnd fürstlichem anhangenden insiegeln vorsiegelt, Geschehen Sonnabents nach franciscj, Christi vnnsers liebenn hern geburth jm funffzehenhundersten, darnach jm vierzigsten jar.

Joachim, Kurfurst,

Henrich,

manu propria subscripsi.

Herczog czu Sachffen etc.

Nach dem Churmärkischen Lehnscopialbuche VI, 175.

341. Brief Caspar Peucer's an den Herzog Albrecht von Preußen über die Abstammung der Markgrafen von Brandenburg, vom 15. Oktober (1540).

Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Alberto, Marchioni Brandenburgensi, Duci Prussie, Stetini, Pomeranie etc., domino suo clementissimo.

S. D. Illustrissime Princeps, Domine clementissime, cum ex sermonibus Reuerendi Viri D. Funcij intellexissem T. C. admodum cupere cognoscere, que de origine et profopia inclite Domus Marchionum Brandenburgensium, deque vetustate huius et cognatione cum stirpe Comitum Zolerensium explorata haberem, dedi operam, vt quantum per occupationes licuit, ea colligerem et in ordinem digesta, qua fieri posset breuitate ceu designarem. Copiosior enim historiarum commemoratio tam cito expediri nequit, nec tam facile. De prima origine non dubito ex eadem familia prodijisse in Germania Comites Zolerenses et qui nunc sunt Marchiones Brandenburgenses ac Burggravij Norici Caltri: in Italia Columnenses, quorum est in vrbe Roma celebris et prepotens profopia. Sed prorsus errant, qui Comites Zolerenses ex Italia a Columnensibus producent, cum eorum in Germania multo sit antiquior stirps, quam in Italia Columnensium et celebretur in historijs multo ante, quam Columnensium nomen innotuerit. Preterea dubium non est, precipuas Italie familias novas et inuitas esse, quas eo velut colonias deduxerunt Imperatores ex Germania, vfi scilicet opera illarum in Italia gubernanda, atque in metu et officio continenda, sicut Carrariensium Padue, Scaligerorum Verone, Vicecomitum Mediolani, Benhuolorum Bononie, Vrsinorum et Columnensium Rome et prorsus eiusdem sunt originis Duces Saxonice hodie et Sabaudenses. Item Duces Brunsvicenses et Ferrarienses. Item Anhaltini et Vrsini. Judico etiam parum honorificam esse nostris principibus referre originem ad eas in Italia familias, que hoc vnum iactitant pre ceteris, quod se Germanico sanguine ortos'atosque gloriantur tanquam vere germano et genuino, propterea quod leges coniugiorum Germani pene soli sanctas inuolatasque seruarint, neglexerint ceteri turpi commixtione.

Certum et hoc est suevicam esse familiam comitum Zolerensium, non Francicam, eamque pervetustam. Fuerunt autem due in Suevia familie potentes ac celebres, eciam ante Imperium Francorum in Germania, vna Gibelinorum sic dicta ab oppido webblingen ex qua prodierunt Imperatores Suevici, Altera welphorum, que produxit Brunsvicenses et Ferrarienses. Has familias celebrant historie tanquam illustres ac potentes iam Caroli Magni temporibus, etsi non omni tempore pariter claruerunt. Exercuerunt autem inter se capitalia semper odia, que multo post translate in Italiam, eo etiam secum invexerunt. Nam et nomina et factiones Gibelinorum et welphorum in Italia non ante Suevicos Imperatores cognita fuerunt. Gibelini Imperatoris Welphi Pontificijs sese addixerunt partibus, tunc cum potentia et Tyrannide Pontificum aucta atque confirmata, Imperium occidentis scissum est velut in duas Monarchias, Ecclesiasticam et Politicam, ita tamen, vt Ecclesiastica politicam Tyrannice semper presserit et sibi subiectam esse voluerit. Ex Gibelinorum gente ergo Comites Zolerenses provenisse multis argumentis mihi persuadeo, que commemorare longum esset, sed qua serie inde descendant, quove cognationis gradu Columnenses attingant affirmare nequeo. Neque antiquiorem eorum mentionem reperio, quam in historia Henrici quinti, sed que cognationis necessitudo et quo gradu intercedat vtrisque Marchionibus Brandenburgensibus et Comitibus Zolerensibus, qui nunc sunt, ostendet Celsitudini tue Tabula, quam mitto. Eam vt clementer accipiat et boni consulat Celsitudo Tua, submisit et reverenter oro. In recentioribus fui brevior, quod pleraque nota C. T. esse non dubito. Si quid tamen defuerit, dabitur opera vt copiosius a me declaretur. Volui autem hoc C. T. offeri per Magistrum Georgium Weigelium, quem C. T. commendo etsi antea ex conspectu presenti colloquijs et consideratione ingenij atque doctrine ipsius commendatum satis esse non dubito, vt nullo meo vel aliorum testimonio egeat et porro eam sese bonorum omnium voluntates ac studia sibi conciliaturum esse confido. Is C. T. de nostris rebus vniuersis, queque in hac Germania fiunt prolixè edocebit, Commendo autem et me C. T. ea qua par est animi subiectione et oro Deum eternum patrem et Salvatoris nostri Jesu Christi, vt confirmet C. T. vires animi et Corporis et largiatur Ecclesijs T. C. salutarem pacem, bene et feliciter valeat C. T. Datum Wittenberge, XV Die octobris.

Celsitudini tue

addictissimus

Caspar Peucerus. D.